

## INTRODUCTIONIS EXEGETICAE

IN

# SACRAM SCRIPTURAM

## PARS TERTIA

### DE SENSU SCRIPTURAE ALIIS PROPONENDO



Duplex, uti vidimus, interpretis sacri officium est, ut et ipse Scripturae sensum intelligat, et intellectum aliis accurate apteque proponat. Cum igitur de sensu invenienduo hucusque dictum sit, oportet nunc de ratione *proponendi* Scripturae sensum breviter pertractare. Quamvis enim naturalis ratio, exercitatio dicendi, ac maturum interpretis iudicium multum in hac re praestare possint, plura tamen sunt prae oculis habenda, quae si una colligantur, ac rite disposita tradantur non parum utilitatis ad hoc negotium expediendum interpreti afferant (1). Ut autem plenior evadat tractatio, primum agemus de variis modis proponendi Scripturae sensum, et singulorum indolem, dotes et condiciones expendemus, deinde vero subiciemus brevem historiam Exegeseos, et notitiam clariorum Scripturae interpretum.

## SECTIO I.

### DE VARIIS MODIS SCRIPTURAE SENSUM PROPONENDI

Ratio proponendi Scripturae sensum multiplex esse potest, pro vario scilicet fine quem interpret sibi proponit, pro maiori vel minori explanationis amplitudine, et pro vario etiam stylo ac modo

(1) Similis est haec tractatio rhetorum praeceptis de bene concinnanda oratione, quinimo a nonnullis haec tractatio ad rhetoricam sacram refertur. Verum ex alia parte cum haec non ad quodlibet sacrae orationis genus, sed ad Scripturae explanationem strictè pertineant, aptius videtur de his agere in Hermeneutica biblica iuxta divisionem alias indicatam ex Augustino D. C. L. 1, et a biblicis scriptoribus vulgo receptam.

res explanandi. Sixtus Senensis in *Bibl. Sancta* Lib. III non minus quam viginti quatuor modos scripturam exponendi indicat, ac fusc tradit, quorum nomina sunt: 1. *Translatio*, sive interpretatio. 2. *Stigmatica* expositio (ex punctorum, et apicum significatione et positione desumpta). 3. *Syllabica* expositio, qualis in concordantiis biblicis invenitur, aut ex illis derivari potest. 4. *Partitio*, quae *divisionem*, et *collectionem* complectitur. 5. *Epitome*, seu aptum biblicae sive historiae sive doctrinae compendium. 6. *Eclogae*, seu excerptum. 7. *Expositio notariaca* (cabalae species). 8. *Paraphrasis*. 9. *Lexices*, qualis in lexicis biblicis reperitur. 10. *Adnotatio*, sub quo nomine comprehendit *scholia*, et *glossas*. 11. *Commentatio*, idest prolixior commentarius. 12. *Expositio sciographica*, seu per figuras, et imagines delineatas, aut depictas. 13. *Expositio tabularia*, sive columnaris, seu compendiosae ac dilucidae expositionis per tabulas et columnas coaptatio. 14. *Enarratio*, quo nomine comprehendit *homilias*, et *conciones*. 15. *Collatio*, seu familiaris et colloquialis expositio. 16. *Meditatio*, sive pia et affectiva Scripturae enarratio. 17. *Poetica* explanatio carminibus vel poetica oratione constans. 18. *Epistolaris* expositio. 19. *Inquisitio*, quam dividit in tres species: *problema*, *quaestionem*, seu percontationem, et *disputationem*. 20. *Collectanea*, ad quam revocat *rapsodiam*, *syllegma*, *abbreviationem*, et *catenas*. 21. *Coacervatio*, quam in duas dividit prout vel *sensuum*, vel *textuum* accumulationem praesertit. 22. *Thematica* expositio. 23. *Scholastica* methodus; quam quidem in veterem sanctorum Patrum, et recentem Doctorum Scholasticorum dividit, hanc vero alteram in decem genera expositionis dispescit, nempe Concordantias, Dictionaria, Historias, Postillas, Quaestiones, Lecturas seu lectiones, Compendia, Sermones, Metros seu rythmos, et Meditationes. 24. demum *Pandesiaca* methodus plures ex praecedentibus complectens, et amplissimam ac diffusam expositionem praebens. Haec Sixtus in toto libro III operis, quae hic breviter innuisse abs re non videbitur. Attamen multi ex praedictis modis non amplius in usu sunt, alii plures ad unum revocari possunt: quare de singulis tractare inutile foret. Hic igitur simpliciore quamdam divisionem dabimus diversorum expositionis generum, de quibus postea singillatim quantum salis est pertractabimus.

Diversitas expositionis desumi potest vel ex fine, vel ex forma, vel denique ex intima ipsius expositionis indole ac natura. Si finis spectetur, generalis divisio est in expositionem *historico-dogmaticam*, et *moralem*, prout scilicet interpres sibi proponit vel historiam ac dogmata Sacrae Scripturae explanare, vel praecipue mores lectorum vel auditorum informare. Si formae ratio habeatur, Scripturae expositio alia est *erudita* seu scientifica, alia vero simplex ac *popularis*. Demum si spectetur intima expositionis natura dividitur haec in *versionem*, *paraphrasim*, *adnotationes* (ad quas revocamus *glossas*, *scholia* ac *postillas*), *commentarios*, *dissertationes*, *praelectiones* et *homilias*. Hanc postremam divisionem in sequenti tractatione tenebimus, cum aliae duae sub aliqua ex hisce formis contineri possint, proindeque in tractatione de singulis nonnulla de illis quoque tradi possunt. Ceterum de pastoralis et populari Scripturae expositione ob peculiarem eius gravitatem, et practicam utilitatem paulo plura in fine dicenda erunt.

## CAPUT I.

## DE SACRAE SCRIPTURAE VERSIONE

I. *Versio*, seu translatio, nihil aliud est quam scripti alicuius reproductio in alia lingua ab ea qua exaratum est. Quare in versione nihil prorsus sermoni auctoris additur, nihil demittitur, nihil immutatur praeter linguam: nihilominus versio inter modos sensum proponendi recensenda est, supponit enim interpretem sensum auctoris probe intellexisse, secus alia lingua illum repraesentare non posset, simulque eum aliis declararet et communicaret, non solum iis qui libri originariam linguam ignorant, sed iis etiam qui eam callent, cum generatim loquendo in libris antiquis versio clarior esse debeat quam textus. Potest autem versio fieri vel directe ex originali textu, vel indirecte seu ex alia antecedente versione; in primo casu dicitur *immediata*, in altero vero *mediata*. Rursum potest vel presse adhaerere vocabulis alterius linguae, vel paulo liberius sensum referre: in primo casu dicitur *literalis*, in altero *libera*. Haec omnia etiam in Sacra Scriptura locum habent. Et quisque bonus Scripturae interpres

paratus esse debet Scripturae loca quae intellexit accurata versione in lingua vulgari, cum opus fuerit aliis proponere: quinimo tironibus quoque exercitium huiusmodi negligendum non est, quo maxime possunt vires suas et profectum in biblica Hermeneutica experiri. Hinc enim discent quam difficile opus sit Scripturae sensum et recte intelligere, et accuratè exponere: saepe enim fit ut nos sensum alicuius loci intellexisse arbitremur, at si illum alterius linguae verbis exprimere conamur, statim intelligentiae defectum experimur. Itaque operae pretium erit nonnulla tradere de optima ratione versionis conficiendae, deque iis quae in sacris Libris vendendis vel cavenda, vel sectanda sunt.

II. Dotes optimae versionis, imprimis Sacrae Scripturae, ad tres revocari possunt, nempe 1<sup>o</sup> fidelitatem, 2<sup>o</sup> perspicuitatem, 3<sup>o</sup> elegantiam. Harum necessitas et gravitas non eadem est, sed iuxta ordinem praedictum primum tenet locum fidelitas, cui reliquae inservire, ac si opus est etiam immolari debent: evidens enim est melius esse, praesertim in Sacra Scriptura, minus claram et elegantem habere versionem quam minus fidelem; conandum tamen est omnes hasce dotes simul componere quantum fieri potest, quod tamen difficile opus est, et apprime exercitatum ac maturum poscit iudicium. De singulis pauca.

1. *Fidelitas* versionis ad hoc revocatur ut versio originalem textum in sua integritate repraesentet nihil prorsus immutans, praeter vocabula, seu linguam. Oportet igitur ut cogitationes omnes auctoris integre, et sine immutatione referantur. Quare non licet maiorem extensionem illis dare, supplendo ex. gr. ea quae implicite in verbis auctoris contineri existimantur, hoc enim non ad versionem, sed ad paraphrasim pertinet, multo minus licebit sensum determinatum affingere vocabulis quae in textu auctoris minus determinata, aut forte ambigua sunt, vel viceversa indeterminatas vel ambiguas voces iis, quae apud auctorem certae ac definitae sunt, substituere. Cavendum est denique ne dictionibus ab auctore usurpatis aliae diversae substituantur, vel iis insolitae et minus obviae significationes tribuantur, atque ita novae intrudantur notiones praeter, vel contra mentem auctoris. Adversus huiusmodi regulas facile peccant non solum qui sufficienti vel linguarum notitia, vel biblica scientia carent, sed etiam et multo magis

qui praeiudicatis opinionibus tenentur, et quorum interest praeconceptam aliquam notionem Scripturae repugnantè affingere, vel sensum qui displicet ab ea removere. Versiones ab haereticis confectae huius vitii exempla plura subministrant. Ita male Kuinoel Math. IX, 4 vocem *διαβόλος* vertit: *malus consultor*; ibi enim pro Satana, seu angelo malo evidentè accipitur: male etiam Schottius in historia prodigii Pentecostes Act. II, 4 verba *επειρας γλωσσαις* vertit: *novis loquendi rationibus*, cum ibi de prodigiosa locutione linguis vere diversis sit sermo. Idem auctor sensum verborum Colos. II, 9 pervertit reddens: *siquidem ei omnis bonorum numinis divini copia revera inhaeret*, cum tamen certissimum sit de divina Christi natura ibi sermonem esse, ideoque fidelior sit versio Vulgata: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*πᾶν πληρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς*). Recentiores ex Germania praesertim biblici scriptores protestantissimi vel rationalissimi placitis addicti in suis, quas in dies edunt, unius vel alterius sacri libri vulgaribus versionibus saepe saepius in praedicta vitia incidunt, Scripturaeque sensum immutant, et ad suas praeconceptas ideas detorquent, modo significatione vocum immutata, modo importunis additionibus insertis, aut vocabulis intra parentheses adiectis. Et haec quidem de materia sermonis. Verum etiam *forma* sermonis quantum fieri potest servanda est a fidei interprete. Scilicet, servata utriusque linguae proprietate, oportet originarium libri characterem et quasi colorem, quoad licet, retinere ac exprimere. Scilicet si poetica sit styli forma eadem in versionis stylo apparere debet: si liber orientalis sit, ut imprimis in libris poeticis ac propheticis V. T. fit, non licebit eos hoc caractere exuere ut genio et quasi habitu occidentalium proprio induantur, si archaica sit forma sermonis eam oportebit in stylo versionis retinere. Horum omnium exemplum laudabile praebet Vulgata latina, quae licet a viro latini sermonis scientissimo exarata sit, stylum tamen ac formam originalium textuum apprime servat. Contra versio a Seb. Castalione olim confecta (Basileae 1551) quoniam classicam Augustaei saeculi latinitem affectat minus fidelis habita est, et Scripturae studiosis displicet. Huc quoque pertinet translatio alliterationis, paronomasiae vel allusionis etymologicae, quae frequenter in Scripturis occurrunt: cum enim ex his

pendeat clara horum locorum intelligentia, fideli interpreti laborandum erit, et torquendum etiam ingenium ut illa verbis suae linguae exprimat: quod si ob linguae naturam id fieri nequeat conandum erit ut saltem approximative vel per circumloquutionem aliquid simile exprimat. Ita laudatur Hieronymus qui hebraica verba Gen. II, 23: זָאת יְקָרָא אִשָּׁה כִּי פִאִישׁ לִקְהָה זָאת vertit « haec vocabitur *virago* quoniam de *virgo* sumpta est » ut ita servaretur quantum fieri poterat etymologica derivatio vocis אִשָּׁה ex אִישׁ. Attamen si haec transferri non possint, dimittenda sunt potius quam verba et phrases cum linguae indole pugnantes inducendae. Caeterum extrema in hac re cavenda sunt, scilicet forma originalis sermonis nimis presse sequenda non est, hoc enim non solum rusticam et inconcinnam, sed etiam obscuram plerumque faceret versionem. Ita ex. gr. Seb. Schmid nimis verbaliter reddidit celebrem locum Malac. I, 11 ita: « *Et in omni loco erit suffitum alatum nomini meo, et minchah munda* » multo melius Vulgatus interpres, quamvis non minus fideliter: « *Et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* »

2. *Perspicuitas* altera dos est prae oculis habenda: et ille demum optimus erit interpres qui noverit perspicuitatem cum fidelitate coniungere. Ad hanc dotem pertinet 1) conceptum auctoris accurate, et clare perspectum nec pluribus, nec paucioribus verbis exponere quam ad illud circumscribendum satis sunt. 2) Vocabula propria adhibere, quae scilicet originalibus vocabulis, et auctoris menti accurate et adamussim respondeant, non autem aliquid tantum simile vel affine significant. Hinc apparet non posse optimam fieri versionem nisi ab eo qui et in scribendo exercitatus sit, et linguam, qua versio scribenda est apprime calleat. Perspicuitatis defectus in versionibus nimis verbalibus saepe offenditur, ut ex. gr. in versione graeca Aquilae, quem Hieronymus *superstitiosum interpretem* vocavit, et in versione Syriaca philoxeniana, ut alias vidimus: neque ab hoc defectu prorsus immunis est Vulgata latina praesertim in libro Psalmorum, qui ex Hieronymi versione non descendit, qui certe, fatentibus omnibus, obscuritate aliqua laborat: Ecclesia vero antiquam illam Psalterii versionem potiusquam novam Hieronymi paulo clariorem retinuit, ob prudentiae causam, ut alibi narravimus.

3. Demum *elegantia* negligenda non est, ita tamen ut semper et fidelitati et perspicuitati, quae potiores dotes sunt, subordinetur. Hoc vero intelligendum est respectu habitio etiam ad ea quae dicta sunt de forma et caractere originalis sermonis retinendo: quare, ut diximus, ita calamo temperandum est ut excessus elegantiae characteri divinorum librorum minus conveniens devitetur.

III. Ex hisce satis liquet quam difficile opus sit optimam sacrae Scripturae versionem conficere. Difficultates enim quamplurimae, et certe graviores quam in profanis libris vertendis hic occurrunt, quarum aliae sunt ex parte materiae saepe difficillimae et obscurae, quae sensum ancipitem relinquunt, aut non facile definiendum, dum tamen officium interpreti incumbit cautissime procedendi, nec unquam in rebus tanti momenti privatum suum iudicium aut opinionem interponendi: affae vero sunt ex parte linguae, cuius dicendi formae saepissime ab indole nostrarum linguarum abhorrent, saepe etiam ob imperfectam eius notitiam quae nobis suppetit ambiguae sunt, aliquando etiam nullum habent accurate respondentem in alia lingua dicendi modum. Haec difficultas aliquando augetur ex differentia interpunctionis. Hinc fit ut pleraeque versiones una vel altera ex praedictis dotibus plus minus careant. In genere autem statui potest fidelitatem in omnibus versionibus Ecclesiastica auctoritate probatis, et publico usu receptis, ad substantiam rerum quod attinet, reperiri: perspicuitatem, et elegantiam non semper perfecte haberi in plerisque antiquis versionibus etiam Ecclesiasticis. Contra in versionibus recenter adornatis a Protestantibus vel Rationalistis postremas hasce dotes studiose servatas fuisse, attamen saepissime cum veritatis detrimento, ita ut ab Hagiographorum mente discedant, aut illi omnino contradicant, quod certe multo gravius vitium est, et valorem omnem versionibus admitit. Hinc etiam apparet quanta prudentia Ecclesia novas versiones haud facile admittat, et in usibus Ecclesiasticis antiquas, et longo saeculorum usu probatas retinere maluerit, vernaculas autem versiones nonnisi sub certis quibusdam conditionibus permittat. Sed de his plura in Appendice II.

CAPUT II.

DE SACRAE SCRIPTURAE PARAPHRASI

I. Dicitur Paraphrasis uberior, limitibus tamen orationis continuo adstricta, sensus expositio, seu ut Erasmus definit: « est paraphrasis non translatio, sed liberius quoddam commentarii perpetui genus, non commutatis personis. » Scilicet in paraphrasi ipse auctor introducitur mentem suam paulo clarius explicans servata tamen serie et structura originalis sermonis. In hoc igitur differt ab adnotationibus vel commentariis, quod in his non auctor loquitur, sed interpres auctoris mentem explanans extra seriem orationis, contra vero in paraphrasi. Differt autem a versione, quod haec verborum originalium sensum aliis verbis aequivalenter reddit, servata omni obscuritate quae in ipsis auctoris conceptibus, et in ratione eos proponendi inest, paraphrasis vero hanc etiam removere conatur, nonnullis suppletis, aliis paulo fusius expositis, vel nexu et ordine idearum apertius indicatis.

II. Dotes quae in paraphrasi requiruntur tres assignari possunt, 1<sup>o</sup> scilicet fidelitas, 2<sup>o</sup> perspicuitas, 3<sup>o</sup> brevitatis.

1<sup>o</sup> Ad *fidelitatem* pertinet, ut paraphrastes dum mentem auctoris declarare satagit, eam minime immutet. Quare hic aliter accipitur fidelitas ac in versione: haec enim ut fidelis sit nihil prorsus addere, nihil demere de auctoris sermone debet; paraphrasis vero plura addere, plura quoque demere et potest et debet, ita tamen, ut auctoris sensus non solum alius non evadat, sed potius clarior fiat (1).

2<sup>o</sup> Ad *perspicuitatem* pertinet, ut quicquid in sermone auctoris obscurem, vel ambiguum est sive ob brevitatem sermonis, sive ob dictionum ambiguitatem, sive ex rei natura sive ex difficultate contextus, per opportunas circumloquutiones, et additiones verborum removeatur. Ad hunc finem oportet ut expressiones vagae et

(1) Nonnulli ad fidelitatem pertinere putant ut voces additae a textu distinguantur diversa characterum forma ut lector uno oculo lectu discernat quid ad sermonem auctoris, quid ad paraphrasten pertineat. Sed hoc a plerisque non observatur, nec necessario praecipendum videtur.

indeterminatae iuxta mentem Scriptoris definiantur, ideae intermediae a scribente omissae, cum opus est, sive ex locis parallelis, sive ex contextu vel ex natura rei suppleantur, demum rerum quae lectoribus familiares non sunt obscuritas per brevem aliquam ex archaeologia vel historia desumptam explicationem removeatur; si vero obscuritas ex linguae idiotismo oriatur per aequivalentem loquutionem lectoribus planiorem removeanda erit. Hinc apparet etiam alia differentia paraphrasis a versione. In hac enim non licet interpreti ea quae per se ambigua vel obscura sunt determinare proprio iudicio interposito, paraphraetae vero id omnino faciendum est, quamvis caute et cum solido fundamento, quod etiam in subiectis notis plerumque indicandum erit, ut inferius animadvertimus.

3<sup>o</sup> *Brevitas* paraphrasis a duobus praecipue pendet: 1) Ut ea tantum declarentur, quae declaratione indigent, 2) ut declarationes haud pluribus verbis fiant, quam necessariae sunt ad auctoris mentem exponendam: uberius enim sensus explicatio et confirmatio ad notas vel commentarium remittenda est.

III. Paraphrasi adijungi solent duo adminicula, scilicet *analysis*, et *adnotationes*. *Analysis* (1) sermonem dividit in suas partes, earumque nexum paucis indicat, atque ita eius intelligentiam faciliorem reddit. *Adnotationes* vero ad calcem paraphrasis appositae paulo uberius exponunt quod illic breviter propositum est, simulque rationem lectoribus reddunt cur unus sensus prae alio acceptus fuerit.

IV. Paraphrases biblicae quamplurimae extant a viris tum catholicis tum protestantibus confectae, quae non omnes aequae laudandae sunt, et aliae aliis praestant pro vario scilicet gradu quo tres praedictae dotes in iis servantur. Inter catholicos praestant Gaspar Sanctius, Thomas Leblanc, et Bernardinus a Piconio, quorum priores duo suis commentariis V. T. addere solent accuratam paraphrasim, tertius vero egregium scripsit opus in epistolas Paulinas sub titulo: *Triplex expositio*, idest, *analysis*, *paraphrasis* et *commentarius* in singulas epistolas: quibus addendus est Erasmus

(1) Nonnulli auctores *analysis* referunt ad modos exponendi Scripturam: nobis videtur potius esse praeparationem quamdam ad expositionem, sive haec sit paraphrasis, sive commentarius.

ob celebrem paraphrasim N. T. quam latinae suae versioni adiunxit, et inter recentiores Dominicus de Brentano qui pariter germanicae versionis a se confectae paraphrasim addidit. Inutile non erit aliquid exemplum optimae paraphrasim hic subiicere.

I. Primum exemplum sit ex insigni loco Rom. V. 1-seqq. de peccato originali, eiusque reparatione.

Vulgata Rom. V. 1-18.

1. Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum Nostrum Iesum Christum:

2. Per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.

3. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur:

4. Patientia autem probationem, probatio vero spem,

5. Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

6. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impiis mortuus est?

7. Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.

8. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus,

9. Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per Ipsum.

10. Si enim cum inimici essemus Deo per mortem filii eius: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.

11. Non solum autem: sed et gloriamur in Deo per Dominum Nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

12. Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt:

13. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.

14. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri.

15. Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit....

18. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.

Analysis Bern. a Piconio.

Stabilita, ex superioribus capitibus, nostra iustificatione, ex fide Iesu Christi; nunc disserit de huius iustificationis effectibus, ex quibus illius excellentia et celsitudo demonstratur.

Primus ergo nostrae iustificationis effectus est pax et tranquillitas conscientiae nostrae per Iesu Christi mediatoris nostri merita. vers. 1.

Secundus, adoptio filiorum Dei, et hanc ob causam, gloriatio et exultatio in spe felicitatis aeternae filii Dei praeparatae. vers. 2.

Tertius, gaudium et exultatio in ipsis afflictionibus, utpote huius aeternae felicitati assimilibus; quam affinitatem pulchra gradatione demonstrat Apostolus. vers. 3. 4. 5.

Hanc filiorum Dei gloriam sperandi, duo nobis firmissima fundamenta statuit: duo scilicet divini in nos amoris argumenta, nimirum, Spiritus Sancti in cordibus nostris diffusionem, et Christi mortem pro nobis adhuc peccatoribus; quam Christi charitatem mire exaggerat vers. 6. 7. 8. 9. 10.

Quartus nostrae iustificationis effectus est quod gloriamur in ipso Deo, ut Patre nostro, et in Iesu Christo nostro reconciliatore, vers. 11.

Ut autem huius nostri cum Deo reconciliatoris necessitatem convincat, rem ab origine petit. vers. 12.

Adae peccatum, originalem nostrae corruptionis causam indicat, ut Christum, nostrae iustitiae fontem ostendat. vers. 12. 13. 14.

Utique ergo Adamum et Christum comparat, opponit, Christum Adamo praeponeit, vers. 15. 16. 17.

Ac denique, vers. 18, concludit quod sicut per Adae inobedientiam peccatores facti sumus, sic per Christi obedientiam, iustitiam et vitam aeternam adipiscimur.

Paraphrasis eiusdem.

1. Quandoquidem ergo ex fide, et per fidem in Christum, propter delicta nostra traditum iustificati, et a peccatis nostris mundati sumus, pacem habeamus erga Deum, pacato ac tranquillo simus animo, et a malae conscientiae terroribus libero, utpote Deo reconciliati, per D. N. I. C. mediatorem nostrum,

2. Per quem habuimus accessum ad hanc reconciliationis gratiam, in qua constanter perseveramus, et de qua gloriamur, sperantes gloriam filii Dei praeparatam.

3. 4. Non solum autem gloriamur in spe futurae filii Dei gloriae, sed etiam gloriamur, et exultamus in tribulationibus, utpote huic gloriae affinis; scimus enim quod afflictio parit patientiam, patientia probationem, probatio spem;

5. Spes autem divina nos re sperata non frustrabitur, aut frustratos pudore afficiet; quandoquidem Dei charitas et liberalitas effusa et profusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis ut haereditatis aeternae pignus; tale pignus qui dedit, quid denegabit?

6. Praeterea, ad quid Christus, pro nobis adhuc impiis, et peccatorum infirmitate languentibus, tempore praescripto, mortuus est, nisi ut suam in nos charitatem ostenderet, spemque nostram firmaret?

7. Vix enim pro alio, licet iusto, quis moritur: dixi vix, quia pro iusto, et sibi benefico, forte quis sustinebit mori.

8. In hoc autem Deus suam in nos charitatem demonstrat abundabilem, quod Christus pro nobis non sanctis, sed peccatoribus, non amicis, sed inimicis suis, tempore opportuno mortuus est.

9. Quod si tantum beneficium praestitit impiis, quanto magis nos nunc per ipsius sanguinem iustificatos, Deoque reconciliatos, servabit ab ira Dei in iudicio?

10. Si enim nos adhuc inimicos Deo per mortem suam reconciliavit, multo magis reconciliatos salvabit, per vitam suam gloriosam et omnipotentem.

11. Non solum autem gloriamur in spe gloriae filiorum Dei,

aut in tribulationibus ad hanc gloriam conducentibus: sed et in ipso Deo gloriae centro; gloriamur, inquam, in Deo ut Patre nostro, et gloriamur in D. N. I. C. per quem Deo reconciliati sumus, in divinam eius filiationem adsciti; idque mira nostrae reparationis cum nostra perditione convenientia.

12. Quemadmodum enim per unum hominem, Adamum scilicet, peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors, et ita omnes homines facti sunt mortales, sicut et peccatores; in Adamo enim, humani generis principio, peccaverunt omnes; ita per unum hominem, Christum scilicet, iustitia, et per iustitiam vita intravit in mundum.

13. Quod in Adamo peccaverint omnes homines, et consequenter quod ab Adami temporibus peccatum fuerit in mundo, etiam ante Legem datam, licet peccatum tunc non imputaretur, aut vix reputaretur ab hominibus suam concupiscentiam sequentibus, et legem nondum habentibus, quae peccati foeditatem ipsis ostenderet, patet ex morte, effectu, et poena peccati.

14. Ab Adamo enim usque ad Moysen, per quem Lex data est, mors regnavit in omnes homines, etiam in infantes, qui propria voluntate non peccaverunt, sicut Adam peccavit, et qui ob solum Adae peccatum erant peccatores, et ideo mortales; et in hoc Adamo Christi venturi, et rerum ab eo gerendarum est typus, quod sicut Adam omnibus a se natis auctor est mortis et peccati, sic Christus omnibus a se renatis auctor est iustitiae, et vitae.

15. Magnum tamen est inter Christi gratiam, et Adae peccatum discrimen; longe plura enim bona nobis confert gratia Christi, quam Adae peccatum invexit mala; siquidem vitam tantum abstulit hoc peccatum, gratia vero Christi, praeter vitam redditam, multa Spiritus Sancti dona confert, in ipsam immortalitatem.

16. Sicut ergo per unius Adae peccatum reatus ad condemnationem in omnes homines pertransiit, sic per unius Christi iustitiam, iustificatio transiit a Christo in omnes homines, qui credunt in illum.

Alia eiusdem loci paraphrasis J. Beelen (1).

vers. 1-2. Igitur iustificati per fidem, ut consequitur ex praemissa doctrina, haud amplius irae Dei obnoxii sed cum eo reconciliati sumus per D. N. I. C. per quem nempe tamquam nostri reconciliatorem olim, cum Christiani facti sumus, per fidem obtinuimus gratuitum istud iustificationis beneficium, quod nunc possidemus. Sed et laetabundi gloriamur de spe quam fovemus consequendi gloriam illam, quam nobis filiis suis adoptivis Deus in aeterna beatitudine praeparavit.

v. 3-4. Non solum autem de illa spe laetamur, verum etiam de afflictionibus, quas identidem patimur, quippe qui scimus, quod afflictio patienter tolerata efficiat constantiam, constantiae autem actus saepe repetitus probatam ostendat virtutem, probata autem virtus spem nobis adaugeat illius coelestis gloriae obtinendae.

v. 5-6. Illa autem futurae gloriae spes non fallit: neque enim promissis suis defuturus est Deus, quippe cuius tantus est amor erga nos, ut Spiritum Sanctum suum in nos effuderit; nec pepercerit proprio filio suo, qui quum peccatores adhuc essemus, constituto tempore, pro nobis impiis redimendis mortem est perpressus.

v. 7-9. Scilicet aegre fiet, ut quisquam pro viro aliquo probo mortem subire velit: nam pro benefactore suo mori forsitan quis denique sustineat. Exhibet autem nobis Deus suum erga nos amorem ut plane singularem per hoc, quod Christum filium suum pro nobis mori voluit tunc, quum adhuc peccatores, et iniusti essemus. Igitur multo potius nunc, postquam per eius sanguinem effecti sumus iusti, per eum servabimur a vindicta in peccatores aliquando exercenda.

v. 10-11. Nam si quo tempore Deo exosi eramus, reconciliati cum eo fuimus per propitiatoriam mortem filii eius, multo magis per vitam ipsius salvabimur, quippe iam cum eo reconciliati, et non solum cum eo reconciliati verum etiam de eo, ut de Patre nostro, tamquam filii eius adoptivi gloriantes per D. N. I. C. per quem nempe nunc illam cum Deo reconciliationem obtinuimus.

(1) Comm. in Epistolam ad Rom. Edit. cit. pag. 132 seqq. vel 475 seqq.

v. 12. Quamobrem sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, et per peccatum mors... Atque ita factum est, ut mors in omnes homines pertransierit, quia nempe per unum illum omnes peccaverunt.

v. 13-14. Nam illo temporis spatio quod fuit inde ab Adami peccato usque ad legislationem Mosaicam, homines peccata committebant. Iamvero peccatum non imputatur ad poenam temporalem quando non extat lex quae istiusmodi poenam in peccantem constituat. Atqui toto illo temporis spatio, ab Adamo usque ad Moysem, mors, quae poena peccati est, dominium suum exercuit in homines omnes, etiam in eos, qui non peccaverant ad exemplum Adami, qui homo typus est hominis illius, qui venturus erat, Iesu Christi.

v. 15-17. Verum non sicut se habet damnum quod humano generi fecit Adamus, ita quoque sese habet divinae gratiae donum quod hominibus obtingit per Christum. Non est, inquam, par utriusque ratio. Nam si, quod profitemur, per unius illius hominis lapsam tota hominum multitudo morti occubuit, culpaque illius in omnium nocumentum exuberavit, at multo abundantius Dei amor, indeque profectum gratiae beneficium erga omnes homines sese effudit per gratiam unius hominis, Iesu Christi: neque eadem mensura nocuit Adamus qua profuit Christus etc.

v. 18-19. Itaque sicut unum peccatum hominibus omnibus cessit in condemnationem mortificam; ita quoque unum recte factum hominibus omnibus cessit in iustificationem, quae ad vitam aeternam obtinendam perducit. Etenim sicut per unius hominis inobedientiam etc.

II. Alterum exemplum esto celebre Danielis vaticinium de Christi adventu Dan. IX, 20-27.

Vulgata Dan. IX. 20-27.

vers. 20. Cumque adhuc loquerer, et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israel, et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte sancto Dei mei.

v. 21. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini.



v. 22. Et docuit me, et loquutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres.

v. 23. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem.

v. 24. Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum.

v. 25. Scito ergo, et animadverte: ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum.

v. 26. Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus: et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio.

v. 27. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

#### Paraphrasis Gasp. Sanctii (1).

vers. 20. Cumque adhuc intentus essem orationi, ad Deumque supplices atque humiles effunderem preces; et mea atque populi mei peccata confiterer, et pro monte sancto, eversoque templo apud Deum laborarem.

v. 21. In ipso orationis ardore pernici quodam volatu astilit mihi Gabriel, quem in principio visionum mearum magistrum habui, sub noctis crepusculum, quo tempore vespertinus agnus immolari solet. Cuius tactu quasi e profundo somno evigilare visus sum, et ad novam aliquam illustrationem excitari.

(1) Ex eius Comm. in Daniele Lugd. 1619 col. 360 seqq. Haec paraphrasis prima fronte nimis diffusa videbitur verum si loci huius obscuritas consideretur, et plura quae ad eius explicationem aliunde afferenda ac supplenda sunt, hoc vitio auctori non vertetur.

v. 22. Ille, quod prius ante fecerat, docuit me, et hunc in modum est affatus: hoc ipso temporis momento egressus sum, o Daniel, ad te, ut a me doctore maximarum rerum obscuros eventus intelligeres.

v. 23. Licet ex quo primum orationem exorsus es decretum esset a Deo, ut sermonem audires, quem ad te nunc legatus profero; nunc tamen a Deo cum his mandatis primum egredior; tuam enim orationem, et ardens desiderium ab effectu Deus vacuum esse noluit. Tu ergo animum ad sermones meos adverte; et visionis, seu aenigmatis huius intelligentiam cape.

v. 24. Intra septuaginta annorum hebdomadas, quae annos seculares efficiunt quatercentum et nonaginta, quod tempus pro rerum magnitudine breve est, instaurabitur civitas et templum; et adveniens Christus efficiet ut praevaricatio dissolvatur, exulet procul ab hominibus iniquitas, et quod die dominatum est, peccatum intereat. Adducet autem legem, cui nulla deinde lex silentium indicet, et cum illa iustitiam, quae ut vera est, atque interna, sic etiam in aeternum durabit. Hic implebit, quae aut in visionibus oblata, aut alia quavis illustratione accepta, prophetae praedixerunt. Hic erit Messias, idest unctus, inter sanctos sanctissimus, et sanctorum caput.

v. 25. Hoc itaque tibi certo persuade, et septuaginta hebdomadam tempora, de quibus nuper, hunc in modum partire. Ab eo tempore, quo primum facultas erit instaurandae civitatis et templi, ad templi civitatisque consummatam fabricam septem erunt hebdomades; inde vero ad Christum doctorem, et ducem, idest ad tempus usque Baptismatis (Christi in Iordane) sexaginta duae intercedent annorum hebdomades. Aedificabuntur autem muri civitatis, et quae in illorum complexu continentur, plateae delibet et civium habitacula, cum magna perturbatione ac metu, obstrepentibus undique, et urgentibus hostibus.

v. 26. Ab urbe porro iam instaurata, idest, per annos quadraginta novem, ex quo facta est aedificandi potestas, cum aliae sexaginta duae hebdomades exactae fuerint, occidetur, quem multa saecula iam pridem expectant, Christus Dominus. Neque cladem effugiet populus, qui cum ipsius sit, illum tam scelerate negaturus est. Neque enim execrabile facinus impunium abire oportuit.

Aderit autem, post completas hebdomadas septuaginta dux Romanus cum exercitu numero ac forti, qui civitatem et templum a fundamentis eruet, quorum talis erit desolatio et vastitas, ut nullum supersit superioris molis aut gloriae fastigium. Neque absoluto bello instaurabuntur civitatis ruinae: nam eo finito perseverabit tamen perpetua desolatio.

v. 27. In ultima autem hebdomada ex septuaginta, et in eius dimidio moriens Christus testamentum statuet, confirmabitque novum, et abrogabit antiquum; deficient enim sacrificia atque hostiae. Erit autem in templo execrabilis abominatio, neque ullo tempore illius instaurabuntur ruinae aut cessabit vastitas.

III. Tertium denique exemplum afferemus ex prophetico et Messianico psalmo CIX (hebr. 110) *Dixit Dominus Domino meo*, cuius textum utpote notum hic rescribere praetermittimus, eiusque damus paraphrasim quam exhibet B. Card. Thomasius.

Psalmi CIV. paraphrasis Card. Thomasii (1).

1. *Propheta.* Dominus Deus pater aeternus ad Dominum meum Messiam filium suum coaeternum hominem factum ex genere meo dixit: *Sede a dextris meis, mecumque regna in aequali super omnia potestate.*

2. *Et nunc quoque regna etiam ante id tempus, quo demum tandem ponam omnes inimicos tuos sub pedibus tuis, ut sint omnino subiecti, sicuti sgabellum pedibus substratum.*

3. Idem Dominus Deus Pater sceptrum tuum forte, potestatemque tuam regiam emittet in mundum ex Sion et Ierusalem, o Messia; ubi primum regnare incipies credentibus in te, seseque tibi subicientibus: sed et interim usque ad finem saeculi dominare quoque inter medios inimicos ipsos tuos, tibi quidem rebellantes, sed adversus fidem regnumque tuum non praevalentes.

4. Nam in tempore potentissimi regni tui tecum semper erit unita divinitas, quae omnium rerum est principium et causa te-

(1) Ex opere: *Psalterium Davidis cum Ven. Ioseph. M. Card. Thomasii perpetua interpretatione* etc. Romae 1759 pag. 551 et seqq. Paraphrasis haec aliquando redundans videtur, sed hoc ex scopo auctoris explicatur; voluit enim suppetias ferre iis qui commentarium adire non possant, et huius defectum utramque supplere.

cumque proinde erit rerum omnium dominatus ac principatus: qui gloriosus inter ineffabiles splendores locorum illorum sanctorum coelestis sanctuarii sedes, aequalis Patri, qui tibi unigenito suo dicit: *Ego te non ex nihilo creavi, sed ex memetipso velut ex utero et substantia mea te genui antequam stellam matutinam et luciferam omnesque creaturas facerem a principio mundi.*

5. Idem Dominus Deus Pater iuravit se Te facturum Sacerdotem, nec illum poenitebit unquam huius rei, ut in alios transferat sacerdotium tuum: dixit enim Tibi nato homini: *Tu es sacerdos in sempiternum, eo quod maneat in aeternum semper vivens ad interpellandum pro hominibus, cum alii sacerdotes morte prohiberentur sacerdotio semper fungi: unde tu sacerdos es secundum ritum sacrificii et similitudinem vitae Melchisedech sacerdotis et regis: cuius cum vitae finis non scribatur in Scripturis sanctis, manet is quodammodo sacerdos in perpetuum assimilatus in hac re tibi filio meo.*

6. Dominus igitur meus Messias iste, qui a dextris tuis sedet, o Pater aeternae, ipso in tempore iustae vitae suae percussurus est, et confracturus reges omnes terrae sibi rebelles.

7. Qui et iudicium faciet de nationibus omnibus, complebitque ruinas inimicorum ad completam usque aeternamque destructionem eorum: et capita confringet omnibus ibi rebellium super totam terram tot populorum multitudine inhabitatam.

8. Messias hic in via et curriculo vitae suae de torrente multarum grandiumque afflictionum bibet, experieturque passiones et crucem: et propterea super omnia suum caput, et gloriam exaltabit, et a toto mundo agnosceatur et adorabitur; habebitque nomen quod est super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum.

Parcat lector si nimium in his referendis immorati sumus: sed optimis exemplis paraphrasis instruendae rationem docere volumus, qua nulla opportunior aut utilior Scripturae studiosis exercitatio suaderi potest, quaeque iuxta nostram opinionem cum reliquis omnibus Scripturae expositionibus, sive adnotationes sint, sive commentarii generatim coniungenda esset, cum ea paucis contrahat et sub oculis ponat quae antea vel postea de sensu auctoris sparsim dicta, et disputata sunt.

CAPUT III.

DE ADNOTATIONIBUS, GLOSSIS ET SCHOLIIS

Omnes isti Scripturae exponendae modi, quemadmodum etiam commentarii, inter se specie non differunt, omnes enim animadversionibus constant nomine interpretis extra contextum Scripturae appositis, quibus eiusdem sensus illustratur; distinguuntur tamen accidentaliter pro varia quam praesecerunt rerum copia, atque indole. Et de commentario quidem in capite sequenti; nunc breviter de reliquis.

I. *Scholia* (σχολια) a Graecis, praesertim Alexandrinis, olim dicebantur breves quaedam expositiones sensus difficiliorum locorum in libris sive sacris sive profanis occurrentium: quae quidem addebantur aliquando in margine codicum, alias textui inserebantur, vel etiam ad calcem librorum reiciebantur. Scholia libris sacris N. T. apposita, et in multis codicibus sparsa, in unum collecta fuerunt et vulgata a doctis viris imprimis Gregory, et Matthaei (1). *Glossae* vero (γλωσσαι) vocabantur explicationes potius verbales, seu difficiliorum et rariorum vocabulorum in veterum scriptis occurrentium, quarum collectiones *Glossaria* dicta sunt: huiusmodi sunt nota *Hesychii*, *Suidae*, et *Phavorini* lexica, in quibus promiscue tum sacrorum tum profanorum librorum voces illustrantur, quorum excerpta ad Sacram Scripturam pertinentia vulgavit Ernesti (2); item plura *glossaria* *minora* vulgata elapso saeculo a C. F. Matthaei Moscoviae 1774-75, et iterum in volumine II *Lectio-*

(1) Vide opus: *Novum Testamentum una cum scholiis graecis, a graecis scriptoribus tam ecclesiasticis quam externis maxima ex parte desumptis*, Opera et studio Io. Gregorii. Oxonii 1703 Fol. item: *Novum Testamentum XII Tomis distinctum graec. et lat. textum denuo recensuit... scholia graeca maximam partem inedita addidit, et edidit Christian. Frid. Matthaei*. Rigae 1783-88.

(2) Vide opus: *Glossae Sacrae Hesychii graecae: excerptis, emendavit et notis illustravit C. G. Ernesti*. Lipsiae 1785; item *Suidae et Phavorini glossae sacrae graecae cum spicilegio glossarum sacrarum Hesychii et Etymologici magni; congressit, emendavit et notis illustravit C. G. Ernesti*. Lipsiae 1786. Similia opera ediderunt Io. Alberti et Matthaei.

*num Moscoviensium* pag. 6 seqq. Latini nomina ista receperunt, discrimen tamen inter *Scholia* et *Glossas* non servarunt: nomine enim glossarum (imo *glossae* singulari numero) intelligebant breviores explicationes, sive verborum, sive sensus Scripturae: hinc *Glossa ordinaria*, et *Glossa interlinearis* aevo medio percelebres. Nunc vero appellationes istae vix amplius in usu sunt, sed dilucidationes cuiusvis generis in Sacram Scripturam latina voce *Adnotationes* plerumque vocantur, et a commentario non differunt nisi in eo quod breviores sint, nec continuam textus expositionem continere soleant, sed difficiliorum tantum locorum.

II. Utilitas *adnotationum* maxima est, si scilicet opportune et apte textui appositae fuerint, multoque magis si eis *paraphrasis* iungatur, ut supra monuimus: immo saepe utiliores, aut certe commodiores ipso commentario videntur, qui ob rerum copiam nimium lectores morari, aut etiam fatigare aliquando solet. Eadem aptissimam tironibus exercitationis materiam praebent, si nempe assuescant a probatis auctoribus excerpta, vel proprio studio ac meditatione inventa breviter adnotare ad obscuriora Scripturae loca.

III. Praecipua quae in adnotationibus praestari debent haec sunt.

1° Notentur varietates lectionis, quae forte existunt in textu originali et in versionibus, saltem in versione τῶν LXX, et Vulgata.

2° Voces et dicendi formae obscuriores sive ob raritatem, sive ob diversam linguarum indolem illustrentur.

3° Res, personae, atque lectoribus minus nota ac familiaria breviter describantur ac definiantur.

4° Sermonis nexus, ubi clarus non est, aperiat.

5° Demum in locis ambiguis ac valde obscuris diversae interpretum expositiones proponantur, non tamen omnes, sed eae tantum quae diversum omnino sensum praebent, et solidioribus rationibus innixae sunt.

Notes vero quibus adnotationes biblicae pollere debent sunt praeter *fidelitatem*, *claritas* cum *brevitate* coniuncta.

Cavendum est igitur 1° ne sensus auctoris importunis animadversionibus immutetur, aut perperam representetur: 2° ne quidquam praetermittatur quod revera indigeat explicatione: 3° vice-

versa ne frustra adnotationibus illustrentur, quae vulgo lectorum satis nota sunt.

Ad haec praestanda maturum admodum iudicium requiritur, profunda et accurata Sacrae Scripturae scientia, dicam etiam, quod nemo miretur, bona fides, et Christiana animi demissio ac modestia: fieri enim potest, ut adnotator ad suam vel ignorantiam celandam, vel eruditionem ostentandum veras difficultates dissimulet et transiliat, et in iis exponendis diffundatur quae sine periculo praeteriri potuissent, atque ita lectoris spem fallat.

Adnotationes in Sacram Scripturam plures conscripserunt inter antiquos et recentiores: magnam famam inter antiquiores hoc nomine adepti sunt Erasmus, et Grotius, non sine cautela tamen legendi: item Guil. Estius in suis adnotationibus in praecipua et difficiliora Sacrae Scripturae loca, quae habentur in eius operum Tomo III. Venet. 1759, et Emmanuel Sa: *Notationes in totam Sacram Scripturam*. Antuerpiae 1598.

#### CAPUT IV.

##### DE COMMENTARIIS ET DISSERTATIONIBUS

I. Commentarius est « Erudita, plena, rationibusque firmata sensus expositio. » Differt itaque a Paraphrasi et Versione in eo quod explicationem sensus exhibeat extra seriem textus biblici, ab adnotationibus vero eo quod pleniorum et doctiorum sensus expositionem contineat. Non enim commentario sufficit obscuritatem sensus utcumque removere, sed expositionem praeferre debet omni ex parte firmam, ita ut lector et fundamenta interpretationis perscipiat, et contrariis refellendis idoneus evadat, et subtiliores quoque occurrentes difficultates earumque solutionem inveniat. Itaque ad optimum commentarium haec potissimum requiruntur.

1° Praemittantur *historicae notitiae* de auctore, scopo et adiunctis libri vel sermonis exponendi. Item ante singula capita *argumentum*, seu summarium, praemittendum erit, una cum *analysis* breviter et clare proposita totius loci.

2° *Lectio varietas* siqua est subinde adnotetur.

3° *Vocabula et dicendi formae* quacumque de causa obscurae,

vel parum notae, certis testimoniis quando fieri potest, aut etiam per etymologiam, et analogiam linguae explanentur et definiantur.

4° *Sensus locorum ambiguus vel obscurus*, adhibitis hermeneuticis regulis sive rationalibus, sive, cum de doctrina sermo sit, etiam dogmaticis, quantum fieri potest certus et clarus reddatur.

5° *Res parum notae*, quae in textu vel leviter tanguntur, vel tantum supponuntur sedulo a commentatore illustrentur, et lectoribus notae reddantur, adhibitis in subsidium vel parallelis Scripturae locis, vel testimoniis ex historia et sacra archaeologia petitis.

6° *Nexus* inter partes sermonis quam accuratissime determinetur, cum exinde sermonis intelligentia praecipue pendeat.

7° Ubi plures occurrunt *interpretum expositiones* ad commentatoris officium pertinet eas proponere, earum fundamenta expendere, et adductis rationibus demonstrare quanam reliquis praefenda sit.

8° Demum in *locis doctrinalibus* opportunum erit ea contra haereticorum errores et cavillationes *vindicare*, non quidem diffuse, ut in libris controversiarum fit, sed breviter simul ac nervose.

9° Item abs re non erit conclusiones *practicas*, seu *morales* et *asceticas* indicare, cum hoc ad finem Scripturae maxime pertineat, idque pius lector a commentatore omnino expectet.

II. Ex his satis apparet quanam esse debeant commentarii *dotes*, et quanam esse possint *vitia*.

Dotes quidem numerari possunt sequentes. Commentarius esto 1° *fidelis*: idque non solum in sensu auctoris repraesentando, quae cuiusvis expositionis prima dos est, sed etiam in aliorum vel opinionibus, vel testimoniis referendis. Qua in re facile peccant qui aut indigesta eruditionis mole onerati sunt, aut nimis festinanter, vel negligenter scribunt: hi enim saepe auctores perperam citant, interpretibus tribuunt opiniones quas illi non tradiderunt, textus profanorum inaccurate referunt, et aliquando etiam aliarum scientiarum principia vel conclusiones, quas in subsidium vocant, falso proponunt. Quae omnia nostra praesertim aetate intollerabilia omnino videntur, et in lectoribus fidem in commentarium quem perlegunt omnino labefactant. 2° *Clarus et perspicuus*: ad hoc enim commentarius tendit, ut textum obscurum clariorem reddat: si ergo id non assequatur cum tanto rerum et verborum moli-

mine, nihil assequutus fuisse videbitur. 3° *Completus*: idest omnia complectens quae lectores ab eo expectant declarari, sive in ordine ad sensum intelligendum, sive ad fundamenta interpretationis cognoscenda, et contraria diluenda. 4° *Brevis* etiam pro modulo sit: quamvis enim commentarius copiosior esse debeat cum paraphrasi, tum adnotationibus, et ipse tamen modum teneat necesse est, nec nimia rerum copia lectores opprimat, quemadmodum in quibusdam vetustioribus commentatoribus observatur, quos hac etiam de causa nemo amplius legit.

Hinc etiam facile est colligere praecipua *vitia*, in quae commentatores incidere possunt, et aliquando incidunt. Itaque 1° vitio vertendum est commentatori si eruditionis inopportuna ostentandae, vel ingenio suo velificandi gratia interpretationes sectetur artificiosas, nimis subtiles, a longe petitas potius quam obvium auctoris sensum. Quod facile iis evenire solet qui philologiae primas partes concedunt, quae solidiori spiritus Scripturae cognitioni et meditationi concedendae essent. Ab exemplis citandis malum abstinere. 2° Si interpretationem dumtaxat probabilem tamquam certam tradat, omissis aliis interpretationibus, aut eorum fundamentis non bene ac vere repraesentatis. 3° Si ordinem non sequatur, et farragine observationum, citationum ac opinionum lectoris mentem confundat. 4° Si digressiones admisceat de rebus extraneis, seu cum fine interpretationis biblicae parum aut nihil coniunctis. Huiusmodi essent longiores disputationes dogmaticae, morales aut polemicae, quae potius ad separatas dissertationes reiiciendae sunt, ut infra dicitur; item nimium allegoriae studium, praesertim si exinde negligatur aut ieiune pertractetur historicus et literalis sensus; item subtiliores deductiones ex singularibus alicuius scholae vel philosophicae, vel theologicae placitis unice derivatae. 5° Si frustra immoretur interpres in rebus excutiendis, quae aut clare et indubiae sunt, aut tam parvi momenti ut lectoris attentionem non mereantur; ut ex. gr. quaestiones quaedam mere grammaticales, opiniones obsoletae vel ineptae unius vel alterius interpretis et alia huiusmodi. Aptè ad rem nostram Quintilianus lib. I. Cap. V, §. 8, de auctorum enarratione loquens scribit: « Persequi quidem quod quisque unquam vel contemptissimorum hominum dixerit, vel nimiae miseriae, aut inanis iactantiae est, et detinet,

atque obruit ingenia melius aliis vacatura. » 6° Si, facilioribus locis probe explicatis, in difficultioribus et vexatis, uti vocant, deficiat, aut brevior et ieiunus sit commentarius. Hoc enim vitium lectores, qui ad haec potissimum intelligenda commentarios adeunt, quodammodo decipit, eosdemque iratos adversus commentatorem reddere solet. 7° Si denique reliquis omnibus etiam servatis, nimis diffundatur commentarius, sive id fiat ob stylum asiaticum et oratorium, qui non est huius loci, sive ob ipsam rerum copiam: est enim contra finem interpretationis omnia dicere quae absolute dici possunt, idque lectoribus nec placet, nec utile est. Erit igitur docto interpreti ita stylo temperandum ut quantum satis est sensum exponat ac defendat, coetera vero, si opportunum videbitur, in adiectis *Dissertationibus* excutiat, ut videre est ex. gr. in commentariis Aug. Calmeti, ubi singulis tomis *Dissertationes biblicae* de quibusdam locis, ac rebus obscurioribus appositae sunt.

Postremo animadvertendum est commentarium coniungi posse cum aliis expositionis generibus nempe *versione*, *paraphrasi* et *adnotationibus*, imo valde opportunum hoc est, et ad expositionis perfectionem quodammodo pertinere videtur. Hoc solent facere quidam recentiores interpretes ex quibus duos hoc nomine laudabimus, et in exemplum huius, ut ita dicam, *mixtae* et *compositae* Scripturam exponendi methodi proponemus. Alter est superius laudatus Bern. a Piconio cuius *Triplicis expositio* in B. Pauli epistolae hac ratione instituta est: primo ponit textum latinum uniuscuiusque capitis cum Gallica *versione*, deinde *analysis*, mox addit *paraphrasim*; sequitur *commentarius*, seu uberius sensus expositio, ubi et varias lectiones notat, et philologicas animadversiones inserit; postremo additur *corollarium pietatis*, ubi observationes dogmaticae, morales, asceticae, et pii affectus singulis Apostoli locis respondentes suggeruntur (1). Alter vero est Illūus lo. Theod. Beelen in suo: *Commentario in Epistolam S. Pauli*

(1) Cum tale ac tantum sit huius operis pretium sub quovis respectu consideratum, ita ut Epistolarum Paulinarum studiosis nihil utilius aut charius esse soleat, subit mirari Illūum Beelen nullam de eo mentionem fecisse in *Prolegomenis* sui commentarii in Epistolam ad Romanos, ubi profitetur se optimos quosque Epistolarum Paulinarum interpretes enumerare voluisse.

ad Romanos Lovanii 1854 4 Vol. in 4<sup>o</sup> sequenti methodo adornato. Praemittit docta *Prolegomena*, ubi de Epistolae authentia, scopo, indole, interpretibus agit; tum vero pro singulis capitibus offert 1<sup>o</sup> Argumentum (cum analysi), 2<sup>o</sup> textum Graecum, Vulgatam Latinam, et suam *paraphrasim* (tribus columnis), et in margine inferiori variantes lectiones, 3<sup>o</sup> commentarium philologico-historico-dogmaticum, 4<sup>o</sup> in margine alias breviores adnotationes. In fine demum Voluminis repetit ac simul sistit continuam totius Epistolae paraphrasim. Similem methodum Cl. Auctor tenet in suo *Comm. in Acta Apostolorum Lovanii 1850*, et in *Comment. in Epistol. S. Pauli ad Philippenses* ib. 1852. Haec tamquam optimum eruditae expositionis specimen haberi possunt.

Et haec de commentario.

*Dissertationes* vero, ut supra innuimus, tamquam complementum et supplementum commentarii habendae sunt. Hic vero non loquimur de *dissertationibus biblicis* in genere consideratis, sed in specie de *dissertationibus exegeticis* (1). Sunt autem istae longiores tractationes de singularibus Scripturae locis. Quare omnia fere quae de commentariis dicta sunt ad has etiam pertinent, cum hoc tantum discrimine quod in his brevitatis non praescribitur, quinimo oportet eas omni ex parte plenas esse, ita ut rem de qua agitur quodammodo exhaurire videantur. Ad earum tamen rectam institutionem duo tantum hic observabimus: 1<sup>o</sup> ea quae afferuntur in dissertatione apta sint ad rem illustrandam, nec vanae eruditionis speciem tantummodo praesferant. 2<sup>o</sup> Ordo tractationis, quam accuratissime fieri potest servetur: non raro enim fit ut in huiusmodi elucubrationibus multa festinanter, et absque debito ordine simul congerantur, quae lectoris animum potius fatigant et obnubilant quam illustrent. Contra vero si omnia lucido, et apto ordine dis-

(1) Dicuntur enim dissertationes biblicae quae ad S. Scripturam quovis modo referuntur. Possunt autem in varias species dividi pro vario argumento quod pertractant; et in genere vel ad quaestiones Introductionis referri possunt, ut sunt dissertationes de authentia alienius libri vel pericopae, item aliae chronologicae, geographicae, archaeologicae etc.: vel ad sensum loci alienius illustrandum. Primae classis dissertationes communi vocabulo appellari possunt *criticae*, alterius vero classis *exegeticae*, de quibus tantum hic est sermo.

ponantur, quantumvis docta et proluxa fuerit dissertatio, libenter et cum fructu legitur, atque intelligitur. Ad huiusmodi exegeticas monographias referendae sunt nonnullae ex dissertationibus Calmeti, item Laur. Reinke *De messia expiatore, passuro, morituro* Monasterii 1836, quod opus nihil aliud est quam diffusa commentatio in Is. LII, 13-LIII, 12, item eiusdem: *Exegesis critica in Isaiae II, 2-4 seu de gentium conversione in V. T. praedicta* ibid. 1838.

## CAPUT V.

### DE POPULARI ET PASTORALI SCRIPTURAE EXPOSITIONE

I. Quae hucusque dicta sunt ad doctam et eruditam Scripturae expositionem pertinent, quae cultis lectoribus, et Theologiae studiosis destinatur. Verum interpretem meminisse oportet verborum Apostoli: *Sapientibus, et insipientibus debitor sum*: quapropter sciat etiam necesse est quomodo Scripturae expositio Christianae plebis captui accommodari possit, ut illum ex ea fructum percipiant quem Spiritus Sanctus in Scriptura inspiranda intendit. Cum autem id fieri possit seu scriptis, seu viva voce, hinc distinguere possumus popularem tractationem scripto mandatam, et pastoraalem Scripturae expositionem quae viva voce a pastore animarum in concionibus ad populum fit, quaeque proprio vocabulo *homilia* dicitur. Rursus de his loqui possumus sub duplici respectu, rhetorico nempe, vel hermeneutico. De primo autem tractare pertinet ad oratoriam sacram, uti aiunt, sive eloquentiae sacrae institutionem, ubi de horum sermonum compositione, ac stylo praecepta traduntur, de respectu autem hermeneutico huius expositionis pauca hic subiicienda sunt.

II. Itaque expositio de qua loquimur in multis discrepat a docta et erudita expositione, pro diverso scilicet fine quem speciatim intendit, et pro diversa conditione et idoneitate eorum in quorum gratiam praecipue instituitur. Ex dictis autem satis apparet quatenam esse debeant dotes huiusmodi expositionis. Scilicet 1<sup>o</sup> *simplicitatem* cum *claritate* coniunctam praesferre debet. Id est non solum stylus talis sit oportet, ut ab omnibus etiam rudioribus facile intelligatur (quamvis non debeat plebeius esse, et san-